





4.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE

DEO UNO ET TRINO,

Quam divina ope
SUB PRÆSIDIO

*VIRI Summè Reverendi, Magnifici, Amplissimi,
Excellentissimi,*

JOHAN. ANDREÆ QVENSTEDII,

S. S. Theologiæ Doct: Facultatis Theol. Senioris, &
h. t. Decani P. P. Ordin. Electoral. Consistorii Adfess. & Templi
Omnium Sanct. PRÆPOSITI,

In illustri VVittebergensi Academia

IN AUDITORIO MAJORI,
publicæ ventilationi subjeciet


AUTOR & RESPONDENS

PETRUS König/

Falcoburgens. Neo-March.

Die Julii

ANNO M DC LXXXVII.



WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS WILCKIL

DR. THEOLOG. DISPUTATIO
PUB. SUB PRÆSIDI

DEO UNO ET
TRINO
JOHAN. ANDREA
OVENSIEDL

2. S. Theolog. Doct. Facultatis Theol. Senon. &
h. a. Decem. P. 3. die. Elect. in Conf. A. Hill. & J. 1771
Quantum ad R. M. OSTI
In Illust. V. Neuchapont. Acad. Senon.
AV. AD. 1771
publice examinata et approbata
A. THOR & R. STODDING

PETRIUS
Lilienburgens. 1771
ANNO M. DC. LXXVII

WITTEBERG, Typ. JOHANNIS WICKII



I. N. J.

Articul. I. Aug. Confesf.

DE

DEO UNO ET TRINO,

§. I.

Hic DEum etiam Ethnicis, aliisque hujus ordinis hominibus notum est, ex libro quoque naturæ, hoc est insitis notitiis naturalibus, & consideratione creaturarum. Nam τὸ γνωστὸν τῆ θεῆ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς: ὃ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανερώσατο. τὰ γὰρ ἀοράτα αὐτῆ δὲ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα, καθαροῦται, ἢ τε αἰδοῖται αὐτῆ δύναμις καὶ θεότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτῆς ἀναπολογήτους. Rom. I. v. 19. 20. confer. Rom. II. v. 14. seq. Hic etenim expressè S. Paulus ait, quod τὸ γνωστὸν τῆ θεῆ manifestum sit in illis, & quod θεότης Deitas omnibus conspicua sit ἀπὸ κτίσεως mundi & operum; David etiam Ps. 19. statim v. 1. dicit, quod & cœli enarrent gloriam Dei h. e. cœli docent non effectivè & propriè, sed materialiter & objectivè, quod scil. homini sint materia & occasio, unde DEum cognoscere & celebrare possit. Satis superque etiam aliis in locis Scripturæ sacræ de tali manifestatione agitur. Dicitur præterea notitia naturalis, non tam inchoativè, quod potentia & aptitudo quaedam naturalis sit, quæ per discursum ex creaturarum contemplatione haustum se exerat, quam originaliter, & inhesive, quod non ex peculiari DEI revelatione, sed ex ipsa natura, tanquam causa propinqua proficiscatur, hominibus in ipso ortu insit, & per ipsum postea naturaliter in posteros propagetur. Significat ergo Apostolus Paulus l. c. naturales illas notitias omnium hominum cordibus esse inscriptas, omnibus τὸ γνωστὸν τῆ θεῆ esse φανερόν sive manifestum ἐν αὐτοῖς in ipsis sive per naturam; Non solum per divinam revelationem, aut publicam & solennem promulgationem sicut Judæis sed φύσει i. e. nature ductu, & instinctu, impressio-

de divina naturali. Hoc enim postulat vox τῆ Φύσεως: Fecerunt Genes, quæ legis sunt, non tam parentum, aut majorum suorum institutione, sed potius Φύσεως i.e. natura ductu sine externa aliorum informatione, & absq; Speciali divina revelatione forinsecus accedente. Sic Φύσις illa nos docere asseritur, quæ nemo alius nos docet per institutionis, quotidiana modum I. Cor. XI. v. 14. nosq; illa Φύσις scire perhibemur Judæ v. 10. quæ non demum, per vocalem aliorum informationem, sed per inscriptionem naturalem in cordibus scimus. Qui ostendunt, inquit Apostolus v. 15. opus legis scriptum esse in cordibus suis. Non nudè dicit νόμον sed τὸ ἔργον τῆ νόμου i.e. ipsam legis rem & sententiam esse scriptam (Scriptio non spiritali, de qua Jeremias cap. 31. v. 33. & Hebr. 8. v. 10.) sed naturali v. 14. in cordibus Gentium, non tantum adultorum, sed & infantum, quia natura est inscriptum, quæ & infantibus competit. Nam γραμμὴν νόμου & γραμμὴν νόμου, itemq; γνωστὸν νόμου, & γνωστὸν νόμου in cordibus intimè cohærent, & uti γραμμὴν νόμου in cordibus est Φύσις, ita ut ab ipsa nativitate nobis insit, sic & γνωστὸν νόμου connatum est. vid. Excellentiss. Dn. D. Quenstedii System. pag. 251. & 252. Θεωρ. III.

§. 2. Idem agnoscunt libri nostri Symbolici; Sic v.g. in Apolog. Aug. Conf. Art. 18. pag. 218. dicitur; *Humanam rationem posse loqui de Deo, exhibere DEO certum cultum externo opere.* Quibus sanè indicatur, rationem sibi relictam, seu per vires luminis naturæ de DEO, ut existente, & colendo, conceptus veros sibi met formare, & sic DEUM cognoscere. In Formula autem Conc. declar. solida p. 657. expresse dicitur, *humanam rationem seu naturalem intellectum hominis habere aliquam notitiæ illius scintillulam reliquam, quod sit DEUS, & particulam aliquam legis tenere.* Et quanquam scintillula ista notitiæ illius obscura dicatur, tamen non nulla esse dicitur, sed tantum respectus habetur ad intellectus nostri infirmitatem, quam, pro ut actu est in hominibus post lapsum non rarò exserat Conf. Catech. Maj. Luth. in Artic. I. pag. 489. seq.

§. 3. Quod DEUS sit unus in Essentia probatur tam ex Veteri Deut. 6. v. 4. *Audi Israel Jehova DEUS noster יהוה אחד* Jehova Unus est. Quod dictum Mosaicum Christus repetit Marc. XII. v. 29. Item cap. 4. v. 35. Esa. 44. v. 6. *Ego primus, & Ego novissimus, & absq; me non est DEUS;* quam ex Novo Test. I. Cor. 8. v. 6. *Nullus est DEUS*

DEus alius nisi unus. Ubi non tantum expresse unus sed etiam Esa: loco cit. dicitur primus & novissimus, quodq; præter cum nullus alius sit DEus Eph. 4. v. 6. *Unus est DEus & Pater omnium.*

§. 4. Quoad nomina competit DEo Nomen יְהוָה , quod propriè est DEus fortis semperq; de vero DEo adhibetur, cum uoi adixos siue in singulari occurrit (in plurali enim non de DEo, sed vel de hominibus fortibus, vel de Diis gentium usurpatur,) & absolutè, sine conditione diminuente aut alienante, & quidem concretive, & substantialiter legitur, quod ex inductione locorum constat. Ponitur verò nomen יְהוָה vel simpliciter, vel in complexo, יְהוָה אֱלֹהִים DEus DEorum. Daniel. XI. v. 36. יְהוָה אֱלֹהֵינוּ DEus fortis Esa. IX. v. 6. Nomen יְהוָה decurtatum nonnulli volunt ab יְהוָה , rectius tamen alii deducere videntur ab יְהוָה fortitudo vel יְהוָה robur, Jod vel Van abscondito. Et ita ratione originis adjectivè significat, fortem, potentem, robustum Ezech. 32. v. 21. Exod. XV. v. 15. per antonomasiam vero DEum qui est יְהוָה אֱלֹהֵינוּ fortissimus omnium fortium Daniel. XI. v. 36. Sua enim fortitudine & potentia DEus non solum super omnes creaturas eminent, sed & omnium virtutum, & potentiarum in illis fons est, & principium. Eusebius vocem יְהוָה exponit abstractivè per fortitudinem & potentiam, quam interpellationem laudat Drusius com. priori ad voces N. T. & in posteriori capite 8. B. Lutherus abstractivè etiam reddit. Esa. 9. v. 6.

§. 5. Celebre inter nomina divina quoque est nomen יְהוָה Dominus, quo primus omnium Abrahamus DEum compellasse legitur Genes. XV. v. 2. nunquam autem de DEo dicitur יְהוָה Dominus meus vel יְהוָה Domini mei cum pathach, sed semper יְהוָה cum Kamez. Quod Nomen יְהוָה (inquit B. D. Calovius in Tract. de cogniti. DEi Natural. & Revel. pag. 422.) in tali forma b. e. cum Kamez in fine, eoq; nazivo, non expansa oriundo, sit Soli DEo ceu sustentatori, &

De

Domino rerum omnium proprium, constat ex inductione omnium locorum, quandoquidem ubiq; de Solo DEo adbibetur, nunquam vero de creaturis occurrit D. Dorscheus pentadec. dissert. Theolog. Disput. XII. §. 34. ait. Nomen Adon infinitum, & eternum Jehovaham notat (1) quando absolute ponitur & nullo restringente limitatur, quando effertur cum demonstrativo (2) quando positum est cum additamento dilatante, ampliante & ad universale Subjectum extendente (3) quando geminatum occurrit ut ADON ADONIM Deut. X. v. 17. Psalm. 136. v. 3. (4) quando in casu eodem invenitur conjunctum cum Jehova Elobim aut alio DEi nomine (5) quando ei talia connectuntur attributa, quae nemini, nisi Jehove convenire possunt, vid. Magnif. Presf. Syst: pag. 271. tituli XII. Dereliquis DEi nominibus passim agunt nostri Theologi.

§. 6. Quod attributa DEi attinet, & quidem ejusdem eternitatem, satis abunde ea patet ex Sacro codice, dicitur etenim, principio & fine carens, primus & novissimus α & ω Tu es DEus ab aeterno in aeternum Psalm. 90. v. 2. Esa. 44. v. 6. Apoc. I. v. 18.

§. 7. De incorporeitate, nemo fortasse dubitabit. Est enim Spiritus, qui non agnoscit carnem, nec potest, quia autem Spiritus est ideo etiam invisibilis est & a nullo homine videri potest Joh. IV. v. 24. Haec enim causa est $\epsilon\upsilon\omicron\iota\kappa\eta\sigma\iota\varsigma$ τῆς $\Phi\omega\tau\acute{o}\varsigma$ ἀνεργοῦς, quod DEum nemo hominum vidit, neque videre potest. Exod. 33. v. 20. Dicit DEUS ad Mosen; non poteris videre faciem meam, quia non videbit me homo & vivet, quibus verbis DEus aperte denunciat invisibilem suam Essentiam. Fluit ergo ex spiritualitate incorporeitas, invisibilitas impartibilitas 1. Tim. I. v. 17. sc. in sua natura, quando autem apparuit assumpsit humanam naturam.

§. 8. Est autem impartibilitas, quia in partes dividi nequit.

§. 9. Immensitas ei quoq; competit, quia DEus non potest non essentia sua ubiq; esse & omnia implere. Est enim DEus immensus, non tantum virtute & efficacis, non tantum visione & scien-

scien-

scientia, sed etiam natura & Essentia. Hinc August. Libr. 7. de Civitate DEI c. 30. Implet DEus cœlum, & terram præsentè potentia, non absente natura 1. Reg. 8. v. 27. *Ecce Cœli Cœlorum non capiunt te.* Quem autem terra & cœli cœlorum non possunt dignè suscipere & continere, ille sine dubio infinitus & immensus est.

§. 10. Quod attinet ejus *Sapientiam*, non opus esse judico, illam multis probare, cum Deus solus sapiens dicatur, quia *Essentialiter*, immutabiliter, à se ipso perfectissimè sapiens est 1. Tim. 1 v. 17.

§. 11. *Bonitas* DEI inde constat quia *nemo bonus nisi unus DEus*, ut dicitur Matth. 19. v. 17. proinde quicquid facit, valde bonum est Genes. 1. v. ultimo; & Marc. 10. v. 18. quia est bonus *Essentialiter* à se ipso independentè, perfecte immutabiliter, absolutè Cætera sunt bona, non nisi per participationem dependentè, diminitè secundum quid. *Originaliter*, est enim omnis boni Autor & dator Jacob. 1. v. 17. *Singulariter*, quia nihil mali admixtum habet. Rectè Augustinus de natura boni cap. I. *Solus DEus est ipsa bonitas, solus est immutabiliter bonus, solus est omnis boni bonum, solus est bonitatis causa omnibus, quæ sunt bona.* Uti videre est in Maximè Venerandi Præceptoris Dn. D. Qvenstedii nunquam satis laudando opere pag. 287. *θεσ. XV.*

§. 12. DEUS dicitur etiam *immortalis* quia vita ejus per immortalitatem describitur, quæ involvit moriendi impossibilitatem, & vivendi necessitatem, quæ DEO simpliciter repugnat mori. Unde dicit Paulus 1. Tim. IV. v. 16. quod DEUS sit *ἑὐλόγως ἔχων ἀθανάσιον*, solus habens immortalitatem scil. à se & ex se. Huc pertinet *ἀφθαρσία*, seu incorruptibilitas, ob quam DEUS dicitur *ἀφθαρτός* Rom. I. v. 23. 1. Tim. I. v. 17.

§. 13. *Omnipotentia* DEI est, quæ DEUS facere potest omnia, quæcunque esse possunt, vel nullam inferunt contradictionem, quia facere potest omnia Matth. XIX. v. 26. DEUS est *ὁ δυνάμει ὑπὲρ πάντων κινήσας ὑπὲρ ἐκπερισσῶς*, qui potest super omnia facere super abundanter, quam petimus aut intelligimus secundum potentiam, quæ operatur in nobis Ephes. 3. v. 20. porro probari potest ex Scripturæ dictis 2. Cor. VI. v. 18. Apoc. I. v. 8. cap. 8. v. 14. cap. 19. v. 6. 15. cap. 21. v. 22. &c.

§. 14. Convenit etiam DEo Omniscientia quæ DEus omnia scit, quæcumq; fuerunt, sunt & erunt, & quæ esse & non esse possunt, de quæ luculenter docet Scriptura, DEus omnia novisse Job: 16. v. 30. cap. 21. v. 17. I. Cor. II. v. 2. I. Job: III. v. 20. scire omnes creaturas Actor: 15. v. 18. intueri omnes fines mundi Job: 28. v. 14. nihil DEo esse incognitum Ebr: 4. v. 13. DEū numericè omnia scire Matth: 10. v. 30. Psalm: 147. v. 4. & c: vid. Theolog: Positiva, B. D. Calov: p. 68. §. 196.

§. 15. Omnipresens DEi est etiam attributum respectivum ei cujus DEUS non tantum substantiæ propinquitate, sed etiam efficacia ac operatione adest creaturis omnibus. Universalis præsentia importat universalem conservationem ac sustentationem, sine quæ creatura nulla subsistere potest Jerem: 23. v. 24. Actor. 16. v. 28. Ebr. I. v. 3. Specialis vero præsentia gratiosa infert gratiæ divi gratiæ qualis est præsentia DEi in Ecclesia, & quoad fideles Matth: 18. v. 28. cap. 28. v. 20. Joh. 14. v. 23. I. Cor. 3. v. 16. cap. 6. v. 19. I. Cor. 6. v. 16. Ephes. 3. v. 17.

§. 16. Justitia DEi est quæ DEus est retributor boni & mali vindex Justitia hæc vel universalis est rectitudo sc. voluntatis DEi immutabilis, vel particularis quæm ἀνταποδοτικὴν seu distributivam dicimus quæ tum remuneratrix est, tum vindicatrix. Sic & Dominus atq; Salvator dicitur Justus in se essentialiter, quippe DEus Rom. 9. v. 5. in homine effective quippe Mediator 2. Cor. V. 21. I. Cor. I. v. 30. Jerem. 23. v. 6. Justus tu Domine es, inquit David, & rectum unumquodque scil. judiciorum tuorum vel res recta sunt judicia tua Psalm. 145. v. 18. Justus est Jehova in omnibus operibus suis. Cætera attributa DEi, in quibus prolixos nos esse brevitas prohibet, in Systematibus satis superque hinc & inde traduntur, probantur & explicantur.

§. 17. Ast quod Trinitatem attinet, quæm perperam Antitritarii oppugnant eam, luculenter Scriptura astruit. Expressè enim nominantur tres personæ I Joh. 5. v. 7. Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, itemque in baptismo Christi Matth. 3. v. 16. ac formula baptismi Matth. 28. v. 19. Et quæcumque verè ac merè
di-

vina in Scripturis reperiuntur, non se sunt ad vicem alius, vel quoniam alium referri; quoniam ad has tres personas simul, vel aliquam ex iis, unde tres tantum esse, certum est, nec plures nec pauciores Menz. Art. I.

§. 18. Et hæ tres personæ aliter ab essentia, aliter à se invicem distinguuntur, ab illa sola ratione, cum fundamento tamen in re; à se invicem verò re ipsa ad intra distinguuntur suis Characteribus personalibus: Solus enim Pater à nullo est, Solus Filius est genitus, & solus Spiritus Sanctus procedit.

§. 19. Distinguuntur ad extra operibus creatis, cum considerantur, scilicet relatè h. e. juxta ordinem agentis. Hæc ipsa enim opera uni certæ personæ per appropriationem competunt; Sic Pater est Creator, Filius Redemptor & Spiritus S. Sanctificator. Quæ tamen opera (si absolutè considerantur) sunt indivisa h. e. non uni soli personæ, sed simul omnibus communia: Sine tamen confusione; sed servato discrimine, & ordine personarum; quia enim Pater à se essentiam habet, ideò etiam à se agit, Filius autem à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio.

§. 20. Pater est prima persona Deitatis, quia à nullo est, & origo Trinitatis, Cujusque Deitas in Scriptura passim probatur.

§. 21. Filius est Secunda persona, & verus DEUS, quia competunt ei omnia nomina & attributa divina.

§. 22. Spiritus S. est Tertia persona Deitatis, ac itidem verus DEUS, quia expresse, & absolutè sine aliqua additione, vel restrictione, vocatur DEUS; Jehova & Dominus; insignitur etiam attributis, & epithetis divinis ac operationibus soli DEO propriis.

§. 23. Pater si scripturam audias, omnino est. Jehovah DEUS; Filius est Jehovah DEUS, Spiritus S. est Jehovah DEUS, sed voce Jehovah non *ὁμοῦως* aut diverso significatu sed uno eodemque sensu acceptâ, ut ita illi tres sint unus verus DEUS & Jehovah. Quod Filius à Patre genitus, Spiritus S. à Patre & Filio procedit, id ad proprietatem personalem spectat, non verò Filium, & Spiritum Sanctum alio sensu DEUM facit: quasi

B

alio

alio sensu DEus sit originans alio originatus. Quo pacto & sensu exclusit jam olim tales terminos, imò scripturæ adhuc magis affines Epiphanius libr. 3. Thes. I. hæres. 72.

§. 24. Ex his igitur constat, quod nobis sit unus DEus Essentia, trinus autem in personis. Tres enim sunt qui testantur in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt I. Joh. V. v. 7. *Ego, inquit Christus & Pater unum sumus* Johan. X. v. 30. unum non tantum, consensu & voluntate; sed etiam natura, sive Essentia. Unde Judæi ipsi colligunt veram describi divinitatem v. 33. quam etiam Christus demonstrat ex divinis operibus v. 37. & subjicit v. 38. se esse in Patre, & Patrem in ipso.

§. 25. Intellexerunt veteres nomine *Essentia*, naturam ipsam divinam, qualis in se absolutè est atq; una cum suis attributis simplicissime una ac singularis, atq; unica: Quæ natura seu Essentia divina, citra sui multiplicationem, aut divisionem æq; competat Patri ac Filio, & Spiritui S. Personæ verò nomine, prout alias intelligimus, suppositum intelligens, cum tres personas dicerent, veteres significarunt tres esse unius Essentiæ divinæ subsistentias, quæ suppositum in Esse suppositi, aut personam in esse personæ constituent, adeoq; tria sint supposita, aut tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus S. eandem essentiam divinam, citra ejus multiplicationem aut divisionem participantem, aut sibi met vindicantes. Unde præterea, Patrem & Filium, quos tanquam duas personas differre Arriani concesserunt, sed essentia differre finxerunt naturam divinam, Filio denegantes; orthodoxi verò Filium Patri *ὁμοούσιον* consubstantialem dixerunt. Atq; si Græcorum linguam audiamus, dixerunt illi *ὁμοία* esse unam tres autem *ὑποστάσεις*. Filium esse Patri *ὁμοούσιον*, non autem *ὁμοιόσιον* ne dum *ἕτεροούσιον*. Quod autem Pater & Filius, & Spiritus S. ut tres personæ realiter differant, & probari facile potest, & probatum olim fuit. Nempe de Patre, & Filio nomina ipsa, quæ non ipsi suppositorum, ac personarum sunt, apertissime loquuntur Spiritum S. verò esse tertiam personam Deitatis à Patre & Filio distinctam

ex

ex Scriptura manifestum est. Personam esse inde constat quia ipsi tribuuntur nomina hypostatica, idiomata & opera, quæ sunt suppositorum v. q. quod consoleter, doceat, arguat Joh: 14. v. 16. 26. c. 16. v. 8. & 13. Imprimis vero quod dicitur distribuere dona Spiritualia, fidelibus pro ut vult ipse 1. cor. 12. v. 11. profecto nisi ad tropum temere confugas, manifestissimum est Spiritum Sanctum æq; esse personam certam ac peculiarem pro ut Pater & Filius sunt personæ. Quod verò sit persona distincta à Patre & Filio inde patet, quia à Patre & Filio procedit, & quia Christus eum appellat *ἄλλον*, *alium paracletum* Joh: XIV. v. 16. atq; sic à se & Patre distingvit.

§. 26. Audiamus itaq; & hic libros nostros Symbolicos Nicenum Symbolum cum de Jesu Christo loquitur, eumq; ex Patre natum dicit consubstantialem Patri esse expresse addit. Athanasianum vero disertè mentionem facit terminorum, *personæ ac substantiæ*, fidem Catholicam, ita describens quod illa hac sit, *ut Unum DEum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, neq; confundentes personas neq; substantiam separantes*. Additur porro; *Alia est enim personæ Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti*: Et post paulo: *Sicut Singulatim unam quamq; personam, DEum ac Dominum confiteri, Christiana veritate compellimur, ita, tres DEos aut tres Dominos dicere, Catholica religione probibemur*; Deniq; tres hæ personæ divinæ Coæternæ sibi sunt, & coæquales, unde & in Augustana Confessione Majores nostri Doctrinam de Sacro Sancta Trinitate, non solum verbis Scripturæ de peculiaribus formulis olim exprimi solitam conservarunt, & Servaturos esse semper promiserunt; sic Art: I. cum decretum Nicenæ Synodi memorant, addunt, illud de unitate Essentiæ divinæ, & de tribus personis agens verum, & sine ulla dubitatione credendum esse; Et pergunt; *Videlicet, quod sit una Essentia divina &c: & tamen sint tres personæ ejusdem Essentiæ &c*: Ambiguitatem vocabuli personæ explicant, & juxta usum Scriptorum Ecclesiasticorum in hac causa significari di-

eunt non partem aut qualitatem in alio, sed quod proprie subsistit.
 Deniq; cum Antithesi Samosatenos damnant, id speciatim
 taxant; quod cum tantum unam personam esse contendant, de
 Verbo & Spiritu Sancto, astute, & impie, rhetoricentur, quod
 non sint personæ distinctæ, sed quod Verbum significet verbum vo-
 cale, & Spiritus motum in rebus creatum In Conf. Apolog. pag.
 50. in Artic: quoq; Smalcaldicis Part. I. Art. I. pag. 303. dicitur
 quod Pater, Filius & Spiritus Sanctus in una divina Essentia, &
 natura, tres distinctæ personæ sint, unus DEUS. Et Lutherus noster
 in Catechismo majore, non solum rem ipsam, sed & terminos
 Essentiæ ac personarum populo innotescere voluit, qn. parte
 2 pag 489. Articulos Symboli distingvendo dicit juxta tres
 divinitatis personas, & ad fidei summam brevissime compre-
 hendendam hæc refert. Unus DEUS, & una fides, verum tres
 personæ, quare tres etiam Articuli & confessiones. Confer. Artic.
 2 explicationem pag. 493. Unde & in Epitome Form. Concord.
 sub finem, ubi errores novorum Arrianorum, & Antitrinita-
 riorum diversigenis, Doctrina nostra orthodoxa adhibitis
 iisdem terminis ab heterodoxia Hæreticorum distingvit vid.
 pag. 626. & solidæ declarationis pag. 829. Speciatim sc: quod
 Antitrinitarii quidam pro numero ternario personarum toti-
 dem Essentias finxerint, statuentes, unam quamq; personam
 vere distinctam & à reliquis personis divinitatis separatam
 Essentiam habere.

§. 27. Essentia divina quæ unissimè ut ita loquar una,
 adeoq; summe simplex est, competit tribus personis, Patri,
 Filio & Spiritui Sancto in communicabili caractere personali
 à se invicem distinctis adeoq; Pater, Filius & Spiritus Sanctus
 sunt (1) personæ verè tales (2) personæ distinctæ, & (3) personæ
 divinæ & ὁσιώδεις; Unus verus DEUS, in quo datur ἄλλο καὶ
 ἄλλο, alius & alius ἑτεροῦ καὶ ἑτεροῦ, non ἄλλο καὶ ἄλλο aliud &
 aliud ὁσιώδεις.

§. 28. DEUS non dividitur in tres personas, sed tres per-

personæ inter se distinctæ numero, unicam singularem, & indivisam, sed infinitam, ideoq; pluribus personis communicabilem Essentiam divinam participant.

§. 29. Essentiam unam dicimus esse in tribus personis; non ut totum in partibus, cum unaquæq; persona habeat totam Essentiam, nec ut genus in speciebus, cum personæ non sint species, sed individua; nec ut speciem in individuis, cum ipsa Essentia sit unica numero, nec possit in plures Essentias dividi, sed inest singulis personis tota modo peculiari, quem nec mente concipere, nec oratione exprimere possumus.

§. 30. UNUM aliquid dicitur duobus modis (1) absolute, pro ut idem est, ac non divisum in partes (2) exclusive, quatenus idem est, ac unum tantum, sive unicum, & excludit alia ejusdem rationis, sicut Sol dicitur unus, i.e. tantum unus: priori modo Deus dicitur unus, quatenus nec divisus est, nec dividi potest in plura, quia ratione unitas ejus quodammodo cum simplicitate coincidit. Posteriori modo ac imprimis h. l. UNUS dicitur quod Scriptura innuit, quando DEUM unum vocat Deut. 6. v. 4. Marc. XII. v. 29. Rom III. v. 30. I. Cor. IX. v. 4. ubi semper DEUS unus vocatur posteriori modo, quod tantum unus sit, & non plures, id quod ex eo patet, quod Scriptura negat, præter DEUM alium dari.

§. 31. Non solum ex Scriptura, sed etiam ductu luminis naturæ probari potest Dei UNITAS & quidem hoc modo, si non possunt esse plura infinita, sequitur, quod etiam plures Dii non sint, nec esse possint, Antecedens est verum Ergo & consequens; Consequentia patet, quia Ens infinitum, & DEUS idem sunt; Si igitur Enti infinito repugnat multiplicatio, sequitur quod multiplicatio, etiam DEO repugnet. Antecedens probatur, quia si darentur plura v.g. duo infinita, ratione Essentiæ distincta, neutrum esset infinitum. Nam unum illorum distingueretur ab altero, per infinitam perfectionem, quæ in hoc infinito

finito

finito non esset. Ergo & hoc infinitum non esset infinitum, quia careret aliqua perfectione.

§. 32. Hanc Doctrinam libri nostri Symbolici constanter tradunt & diligenter inculcant in ipso Symbolo Apostolico, quod œcumenicum est, dicunt fideles se credere in DEum Patrem omnipotentem Creatorem, cœli & terræ & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, & in Spiritum Sanctum, ubi aperte fatentur sese actu fiduciæ in tres illas personas tanquam Causam suæ salutis recumbere ac citra inæqualitatem cultum suum Divinum & Patri & Filio, & Spiritui Sancto tribuere. Quamquam & illud observent Doctores, verba Credo in DEum, referenda esse cum ad Patrem, tum ad Jesum Christum, ut nomen DEI semel positum *ἑνὸς θεοῦ* ad utrumq; referri debeat. Sed cum antiqua hæc fides Hæreticorum præstigiis in discrimen adduceretur, postea in Symbolo Niceno clarius propositum est mysterium illud, ad excludendas fortius hæreses, ita ut expressè diceretur: Credo in Unum DEum Patrem Omnipotentem &c: & in unum Dominum Jesum Christum Filium DEI unigenitum, & ex patre natum, ante omnia Secula DEum de DEo, lumen de lumine, DEum verum de DEo vero, genitum non factum &c: in Spiritum S. &c: In hoc itaq; Symbolo Arrianis opposito, in neganda Christi divinitate occupatis, ad fidem Catholicam hoc imprimis pertinere dicitur, quod Unum DEum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur &c: atq; in progressu Patris & Filii & Spiritus S. Una dicitur esse divinitas & æqualis gloria, coæterna Majestas. Idq; quo ad distincta membra v. g. esse increatum, immensum, æternum, omnipotentem, esse DEum, esse Dominum, ita declaratur, ut singulis illis competant, & tamen UNUS sit, & maneat DEus, & si illi numero tres sint realiter distincti, Unde & Superiore Seculo cum protestantes variarum hæresium accularentur, statim in primo August: Conf: Articulo profitentur: *Ecclesias magno consensu apud nos docere decretum illud Nicene Synodi in Symboli formam redactum verum, & sine ulla dubitatione, credendum esse.* Et in Apo-

Apologia pag: 50. Dicunt; Hunc Articulum semper docuimus,
& defendimus &c: porro in prima parte Articulorum &c:
Smalcaldicorum pag. 303. ubi de summis Articulis divinæ Ma-
jestatis agitur, eadem Doctrina repetitur; quia vero etiam sim-
plicioribus quibusvis Doctrina hæc creditu necessaria depre-
hensa fuit. Ideoq; in utroq; Catechismo, minore quidem pag:
370. & 371. in Majore autem pag. 489. seqq. Patris, Filii & Spiri-
tus Sancti Una divinitas & æqualis Majestas, ad captum etiam
puerorum pro necessitate credendi luculentissime traditur.
Deniq; & in Form: concord: præterquam quod in argumento
præmialitria antiqua Symbola confirmantur etiam sectione
XII. quæ est de aliis hæresibus & Sectis, quæ nunquam August:
Confess. amplexæ sunt speciatim pag: 626. Error novorum
Arrianorum, qui Christum negant esse, verum & naturalem
DEUM, divina tamen Majestate, ita cum Patre ornatum dicunt,
ut tamen Patre sit inferior; itemq; error Antitrinitariorum al-
terius generis s: tres DEOS fingentium, aut alia quam Arriani,
ratione patrem solum pro vero DEO agnoscentium, serio
damnatur & tanquam plane Exitiosus uterq; reji-
citur. Conf: Solid: declarationem pag.

632. 829. 830.

TANTUM.



*O*tia quod fugias, Fautor, testantur abunde
Molimen præsens, Herculeusq; labor.
Annuat his Sanctum coeptis ex æthere Nu-
men,

Hic labor ut pariat premia larga, precor.

Ita Pereximio, Clareq; Docto DN. AUCTORI,
Fautori suo gratulabatur

Christoph. Frid. Lammel/SS, Th. Stud.

Plautus in Capt.

Sæpè summa Ingenia in occulto latent.

In fluger Jugend-Geist der ruhet oft im Schatten
So/daß der *Momus* spricht: den zert *Corabus*-Haar/
Bald zelget dessen Schrifft/daß Er auf Wollust-Matten
Die Zeit nicht hingebracht / noch seiner Jugend-Jahr.
Herr König werther Freund! es hat diß wol bewiesen
Sein Kunst-und Tugendwerck/das keinem Spöt-
ter weicht;


Nunmehr sehen hler die scharfen Zoils-Drüsen
Daß der *Minerven*-Brust Ihn einzig aufgesaugt.
Ich wünsche/werther Freund! viel tausend Glück zur
Reise/

Der Höchste seegne Ihn und bleibe dessen Hort:
Den Wunsch verdient diß Werck/ das eine Seelen-
Speise

Und rechter Nectar ist/ an dieser *Jainer*-Pfort.
Er fahre nur-so fort/ *Minerva* wird Ihn bliden
Mit einen *Perlen*-Band/ als ihren Tugend-Sohn;
Sie wird den *Ehren*-Zweig umb seine Stirne winden/
Und reichen nach Verdienst Ihm den verlangten
Lohn.

In Eil schrieb es

Herrman Helm/ LL. Stud.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN



3 2099193

Coll. diss. B. 1, misc. 1-..

